

fuiſſent, petierunt ſibi aliquid, quod diſſoluerent,
à Luthero proponi. Lutherus, prius, inquit,
quàm de alijs rebus colloquamur, volo à vobis
ſententiam exponi veſtram de hac Eſaia prophe-
tia: Ecce, Alma, Virgo prægnans eſt. Illi ſtatim,
prius quam qua intelligeretur, dicerent, iuuenem
mulierem in genere ſignificari affirmarunt. Op-
poſitis à Luthero exemplis & testimonijs de Re-
becca virgine & de Moſis ſorore ſex annos na-
ta, alter iuit in ſententiam Lutheri, alter perſiſtit
in ſua opinione. Ita iam tacente Luthero duo Iu-
dei inter ſeſe diuerſis ſententijs congreſſi, penè ad
pugnos peruenerunt, & iuſſu Principum à ſeruis
extruſi ſunt. Res in riſum verſa eſt. Ad Co-
chlaum quod attinet, accedit & ipſe non vocatus
ad Lutherum, & quidem ad prandium, præte-
dens, ſe dolere vicem Lutheri, & rogare, ut ſe
ſubiiciat iudicio Ordinum, & reuocet, quæ
ſcripſerit. Ei, cum Lutherus reſponderet, nec velle
nec poſſe ſe reuocare, niſi ſcripturæ testimonijs con-
uincatu, quibus ſolis autoritatem tribuat maio-
rem omnium creaturarum autoritate, iuxta il-
lud: Si vel Angelus de celo aliter docuerit, ana-
thema ſit. Et: Hunc audite: Coclaus petit, ut
fidem Publicam reſignando retractet: Hoc ſi fa-
ciat, ſe uſq; ad rogam cum eo diſputaturum eſſe,
de quocunq; velit argumento. Hunc cruentum
animum & dololum ſermonem cum intelligerent
conuiſe, Viri illuſtres & clari, diris & impreca-
tionibus